


Schema vtriusque librationis, pro obliquitatis, & veræ æqui-
noctialis cum eclipticæ sectionis mutatione
monstranda.

Sit *A* polus Ecliptica, *BCD*
semicirculus Ecliptica in Co-
luro *ABD* solstitiorum medio,
E sit polus Æquinoctialis *FCG*
medij, mediumq; æquinoctium
in *C*, & media obliquitas *BF*,
vel *AE*, quæ est 23. gr. 40. scr.
Prioris librationis, qua veri
æquinoctialis polus ab *E* medio
recedit, arcus vel recta linea sit
HEL, arcus coluri solstitiorum,
suisq; quantitas 24. scr. Hac
ergo vera obliquitas mutatur.
Nam vero polo in *H* existente
verus æquinoctialis est *KCL*: sed
eodem polo in *I*, æquinoctialis est
MCN, cuius obliquitas illic est
23. gr. 52. scr. hic 23. gr. 28. scr.
Alterius autem librationis re-
cta (vel quasi recta) sit *OEP*,



arcus coluri æquinoctiorum, eiusq; quantitas 56. scr. Hac veram veri æquinoctialis &
eclipticæ sectionem, verumq; Zodiaci initium, à quo series signorum, atq; motus stellarum
numeratur, variat, Nam vero polo in *P* existente, vera æquinoctiorum sectio est in *S*, sed
illo in *O*, hac est in *Y*, qui *SY* arcus Copernico est 2. gr. 20. scr. tantus enim in obliquitate
congruit *OP* lineæ. Porro hæc diuersitates hæc librationes hæc conditione inter se compo-
nunt. 1. Veropolo in *E*, medietate vtriusq; librationis posito, verus æquinoctialis cum
medio totus in *FCG* coincidit. 2. Ab *E* verus polus tam ad *H*, quam ad *P* tendit, impa-
ri quidem gressu, æquinoctiorum enim libratio secundum *OP*, dupla est ad librationem
obliquitatis secundum *IH*, quia illa tota annis 1717. hæc annis 3434. compleri, à Coper-
nico asseritur. Vbi ergo verus polus ad *P* deuenit, altera libratio intra *E* & *H* cum
consistere faciet. Quare motu composito verus polus in *Q* auerhitur, & verum æquino-
ctialem in *RST* detorquet, cuius obliquitas quidem nondum maxima, sed sectio cum ecli-
ptica à media remotissima est, nempe in *S*. 3. Veropolo ex *Q*, ceu ex *P* ad *E*, redeunte,
& simul in *EH* ulterius ascendente, ipse vtriusq; librationis ductu, motuq; composito in *H*
defertur. Ex quo ei verus æquinoctialis *KCL* debetur, qui obliquitatem iuxta *BK* ma-
ximam habens, eclipticam in *C* medio æquinoctiorum rursus secat. 4. Pari modo idem polus
verus ex *H* ad *E* reuertitur, atq; ex *E* ad *O* egrediens, in *E* rursus restituitur. Etenim si-
cut ex *Q* in *H* peruenerat, ita nunc in *B* abit. Quo loco verus æquinoctialis est *XYZ*, ex
aduerso respondens æquinoctiali *RST*. 5. Vtraq; libratio post eundem polum in *E*, atque
verum æquinoctialem in *FCG* reponit. Hoc igitur tempore æquinoctiorum varietas tota,

R 2

sed ob-